MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80141-10

AUTHOR:

LEO, FRIEDRICH

TITLE:

...DE TRAGOEDIA ROMANA...

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

[1910]

Master Negative #

91-80141-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

870.121
Sch38

Leo, Friedrich 1851-1914
... De tragoedia Romana observationes criticas scripsit Fridericvs Leo. Gottingae, Dieterich, [1910]
22 p. 24½ cm.

At head of title: Ad praemiorvm... propositorvm pvblicam renvntiationem qvae fiet die I. mensis Ivnii a MDCCCCX...invitant Vniversitatis Georgiae Avgvstae prorector et senatvs.

179383

Bound with: Schl( )esinger, Berta. Über philosophische einflusse bei den römischen dramendichtern der republikanischen zeit. 1910.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 8/5/91 INITIALS MED
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0 9.0

AD PRAEMIORVM
A QVATTVOR ORDINIBVS PROPOSITORVM
PVBLICAM RENVNTIATIONEM
QVAE FIET DIE I. MENSIS IVNII A. MDCCCCX
HORA XII
HVIVS ACADEMIAE CIVES
ET QVI EIVS STVDIIS FAVENT
INVITANT
VNIVERSITATIS GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR ET SENATVS

DE TRAGOEDIA ROMANA
OBSERVATIONES CRITICAS

SCRIPSIT

FRIDERICVS LEO

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT
WILH. FR. KAESTNER.

Poetae tragici romani veteres quam accurate quamve licenter atticas fabulas latine verterint, tam in obscuro est ut Enni Pacuvi Acci umbrae magis quam circumscriptae nobis imagines obversentur. scilicet contrarium accidit atque in comoediis latinis, quarum copia suppetit, exemplarium fragmenta perpauca, cum tragoediarum exemplaribus gaudeamus, ipsis careamus. nec mutare Accianis Euripidea cupimus; sed sic evenit ut comoedia nobis artis sermonisque latini notitiam praestet, altioris generis ars ac sermo id est magna pars litterarum latinarum fere lateat. ac multo plura quam adhuc factum est indagari posse parva spes est. non desperandum tamen, sed quaerendum de singulis, unde etiam ad graviorem quaestionem subinde paretur accessus. quod si tenuia tractabo, qua id spe faciam vides; sin maiora obvenient, etiam minimis immorari per operis legem licebit.

Incipiam ab Acci Phoenissis, cuius fabulae ipsum initium afferunt Apuleius Floridorum X et Priscianus de metris Terentianis p. 424, ille duo versus, hic quattuor:

> Sol qui micantem candido curru atque equis
> flammam citatis fervido ardore explicas,
> quianam tam adverso augurio et inimico omine
> Thebis radiatum lumen ostentum tuum ⟨est
> qua luce primum Cadmus huc tetulit pedem⟩?

quibus quintum ipse addidi ut ostenderem nequaquam pro eo quod Priscianus tradit *ostentum* scribi debere cum Heinsio et Ribbeckio *ostentas*. primo versu quod pro *micantem candido* in Apulei codice legitur *candentem fervido*, id quo modo explicandum sit rettulit Helmius in editione (p. 15), scilicet *micantem fervido* scripsisse librarium antiquiorem, cum ex sequenti versu vocabulum animo praeciperet, deinde correcturam *cand* ad participium relatam esse; eam igitur scripturae varietatem non amplius curabimus. graeca haec sunt Euripidis:

ὦ τὴν ἐν ἄστροις οὐρανοῦ τέμνων ὁδόν
καὶ χρυσοκολλήτοισιν ἐμβεβὼς δίφροις,
῞Ηλιε, θοαῖς ἵπποισιν εἱλίσσων φλόγα,
ὡς δυστυχῆ Θήβαισι τῇ τόθ' ἡμέρᾳ
ἀκτῖν' ἐφῆκας, Κάδμος ἡνίκ' ἦλθε γῆν
τήνδ' ἐκλιπὼν Φοίνισσαν ἐναλίαν χθόνα.

quibus Acciana ita respondent, ut primum versum reciderit, alterum decurtaverit *candido curru atque equis citatis* ad unum verbum *explicas* relatis, quo satis apte expressit εἱλίσσων. currum χρυσοκόλλητον fecit *candidum*, compositum scilicet adiectivum novare nolens, qua in re iterum iterumque haerere debebat latinus interpres; sed nec *aureum* faciebat ut Ennius olim (ann. 92 *aureus exoritur sol*) multique post eum atque ut Horatius *aureos currus* (epod. 9, 21) Ovidius *aureus axis erat, temo aureus* (met. II 107); fecit *candidum* communi vocabulo utens, ut Ennius eodem loco (v. 90 *exin candida se radiis dedit icta foras lux*) et alibi (v. 558 *inde patefecit radiis rota candida caelum*). atque addidit de suo Euripideis *micantem* et *fervido ardore*, eo scilicet modo quo inde ab Andronico verba verbis condecorare scriptores latini studebant. cui rationi affine est quod Euripideum δυστυχῆ tot verbis explicavit: *tam adverso augurio et inimico omine*; atque lepide accidit, ut eiusdem fabulae versus Nonius servaverit (p. 16 *expectorare est extra pectus eicere*):

incusant ultro a fortuna opibusque omnibus
desertum, abiectum afflictum, ex animo expectorant
⟨sapientiam omnem —

scilicet sic distinguenda verba et ad sensum supplenda (*incusant ultro; a fortuna — — afflictum exanimum expectorant* Ribbeckius cum Fabro), ex eo usu quem in lemmate definit Nonius et duobus praeter hoc exemplis confirmat: *tum pavor sapientiam omnem mi exanimato expectorat* ex Enni Alcmeone et *éloquere propere ac pavorem húnc meum expectora* (qui est septenarius trochaicus sine vitio ut videtur traditus) ex ipsius Acci Epigonis. vertit autem versibus istis Accius Euripidea verba ἄνδρα δυστυχῆ ἐξηγρίωσαν (Phoen. 875); quorum unum quod est δυστυχῆ his verbis circumscripsit: *a fortuna opibusque omnibus desertum, abiectum afflictum.*

Gravius in eo discrepat ab Euripide Accius, quod primum versum, ut diximus, omisit, alterum contraxit; neque enim dubitari potest quin ipsum Accianae fabulae exordium teneamus. atque Euripides quod τέμνων καὶ εἱλίσσων coniunxit, ἐμβεβὼς intermisit (nam sic verba coniungenda sunt), paullo intricatiorem fecit verborum circuitum. quem dissolvere Accius cum potuerit vel aliquo modo contortae in vertendo locutionis periculum evitare, Euripidis

prima verba resecare maluit. id qua causa commotus fecerit quo comperiamus praesto nobis est in scholiis Euripideis testimonium. nempe haec ad Phoenissarum initium adnotata legimus: παλαιά τις φέρεται δόξα ὡς Σοφοκλῆς μὲν ἐπιτιμήσειεν Εὐριπίδῃ, ὅτι προέταξε τούτους τοὺς δύο στίχους, ὁ δὲ Εὐριπίδης ὅτι προέταξεν ἐν 'Ηλέκτρᾳ ὁ Σοφοκλῆς τὸ 'ὦ τοῦ στρατηγήσαντος ἐν Τροίᾳ ποτέ'. quae historiola relicta esse videtur ex disputatione grammatici qui versibus istis careri posse sine detrimento sermonis moneret. Accius certe cum ab ῞Ηλιε exordium sumeret, Sophoclis iudicium sequi sibi visus est, scholiastae, quem tractavit, testimonio traditum; consimili modo atque Ennium Medeae exordium propter Timachidae sententiam vertendo invertisse olim exposui.

Constat igitur Euripidis Phoenissas Accio exemplar praestitisse. atque decem fragmentorum verba facili opera ad certos Euripideae fabulae locos referuntur, libere pleraque conformata; velut Euripides Polynicem dicentem fecit v. 593 σὺ τῶνδ' ἔξω κομίζου τειχέων, 603 ἀπαλλάσσου δὲ γῆς, 614 ἔξιθι χθονός, 636 ἔξιθ' ἐκ χώρας, simplici unius verbi vigore elata, Accius, ut erat omni tempore Romanum eloquium cumulandorum synonymorum cupidum, sic rem elocutus est, sub finem ut videtur altercationis: *egredere, exi, ecfer te elimina urbe.* sed gravis discrepantia, qua ab Euripide Accius discessit, duplici vel etiam triplici testimonio confirmatur. nam cum apud Euripidem ex Thebaidis fide (cf. Bethe Thebanische Heldenlieder p. 105) Oedipus filiis diras imprecatus coegerit ut tempora regni dividerent (66 sq.), ex Acci fabula hi versus servati sunt: *vicissitatemque imperitandi tradidit* et *natus⟨que⟩ ut tute sceptrum poteretur patris;* quae sententia tale supplementum flagitat: ⟨*maior, minorem Thebas iussit linquere, post annum ut ipse fratris exciperet vices*⟩. scilicet deflexit Accius ab historia ut neminem fecisse scimus praeter Hyginum f. 67: *(Oedipus) se luminibus privavit regnumque filiis suis alternis annis tradidit.* cf. Ribbeckius Die röm. Trag. p. 476 sq. qui versus cum ad narrationem pertineant, vix alio referri possunt quam ad prologum, cuius initium modo tractavimus. tertium fragmentum eodem rettulit Ribbeckius hoc:

ne eorum divitiae et discordiae
dissipent [et] disturbent tantas et tam opimas civium
ditias.

sed primum non senarii sunt, quales in tertia editione Ribbeckius constituit, sed septenarii; deinde non narrationis sunt; ergo ad prologum non pertinent. alia autem scaena, cuius esse possint, si ad rem in prologo narratam referantur, Euripidea certe nulla est. sed referendi sunt ad Tiresiae verba v. 886:

ἐκεῖνο μὲν γὰρ πρῶτον ἦν, τῶν Οἰδίπου
μηδένα πολίτην μηδ' ἄνακτ' εἶναι χθονός,
ὡς δαιμονῶντας κἀνατρέψοντας πόλιν.

ceterum quod de patre regnum inter filios dividente Iocastam suam Accius narrare volebat, quid inde lucrari sibi visus sit nescio, nisi atrocitatem rei imminuere voluisse videtur; nec unde rem sumpserit Accius disputo, siquidem quaeri ea de re nequit nisi explicata omni de Oedipo sene fabularum memoria. sed num in fabulae argumentum tantum id valuerit quam Ribbeckius opinatur dubito. neque enim illud narrationis exordium impediebat quominus ad iracundiam dirasque Oedipi animum Accius perduceret, et id ipsum in Acciana ut in Euripidea fabula accidisse fragmentum modo tractatum docet *incusant ultro* e. q. s.; non igitur cum diem obiit nec solum vertens illam divisionem regni fecit apud Accium, sed manebat Thebis et vivebat. sane fuisse in Acci fabula quae non fuerint apud Euripidem fragmenta quamvis pauca ostendunt; et non fuisse apud Accium quae Euripides fecerit certum praesto est Ciceronis testimonium, item a Ribbeckio adhibitum; qui quod de off. III 82 *graecos versus de Phoenissis*, i. e. Euripidis versus 524. 5 εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρή, τυραννίδος πέρι κάλλιστον ἀδικεῖν, τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών, latine se dicere velle dicit '*ut potero, incondite fortasse, sed tamen ut res possit intellegi*', istos certe versus apud Accium, quem recte novit, latine non legerat redditos.

Simili modo ut alia conspirent cum graeca fabula, alia discrepent, per omnium fere tragoediarum latinarum fragmenta observatur, quarum exemplaribus uti licet. ex Livi Andronici Aiace duorum quae praesto sunt fragmentorum alterum Sophoclis verba libere reddit (cf. quaest. Plaut. 82), alterum sive talem sententiae formam fuisse opineris: *mirum videtur quod sit factum iam diu ⟨oblitos esse⟩?*, ut volebat Ribbeckius p. 26, sive talem: *⟨mortalibus⟩ mirum videtur quod sit factum iam diu*, ad Sophoclis v. 646 sq. vel 1266 sq. amplificatos scilicet sensu verbisque pertinuisse conicias. Naevi unus versus afferri potest ex Iphigenia sumptus (Non. 370 *passum: extensum, patens*), sic scriptus in codicibus: *passo vel hoc vicinum aquilone hortum fer foras.* ubi *velo* Iunius emendavit, reliqua sana sunt praeter ultimum verbum. nam quod *vicinum ortum* Aquilonis dicit apud Tauros prope Thracas Scythosque, τόθεν Βορέαο κατᾶιξ ἔρχεται, id quidem non par est obscurari. *aquilone* autem genetivus est, ut *suspicione* Plautus Merc. 795 habet, *numine dulcedine vapore* (II 623 V 1410. 599) alia Lucreti codices, *citeriore* Varronis (II 1, 5 *in Hispaniae citeriore regionibus aliquot*, ubi perperam scribunt inde ab Italis usque ad Keilium *Hispania*), *tempore* Apulei (apol. 94),

fullone Noni in Pomponi versu 13, *sinite* Ciceronis in Acci versu 365, ut legitur *C. Cinci(os) aidile pleib.* CIL VI 31585, *hic fuerat similis roseo Cupidine ⟨vultu⟩* ibidem 35769 (ubi Buechelerus re non cogente *Cupidini*), in titulo Erano Vindobonensi praeposito (cf. R. v. Schneider p. 386) *pauperis cena pane vinu radic* id est *panis vinum radicula*, item CIL VI 10234, 14. 16 *dividerentur sportulae vinu pane*, ut talia potissimum afferam quae olim afferre non poteram vel neglexeram. nempe in eorum versuum numerum referendus est Naevianus ille, de quibus egi quaest. Plaut. p. 273 sq.; neque enim quicquam adlatum vidi quo quae ibi exposui infringerentur. ergo legendum est ut apud Nonium legitur:

passo velo vicinum Aquilone ortum fer ferociter,

ubi *ferociter* posui ut aliquid ponerem, siquidem *foras* nullum explicatum habere videtur, etiamsi cum Euripidis Iph. T. 1391 sq. (ναῦς δ' ἕως μὲν ἐντὸς ἦν λιμένος, ἐχώρει· στόμια διαπερῶσα δὲ λάβρῳ κλύδωνι συμπεσοῦσ' ἠπείγετο) conferas; sed pertinet versus ad Minervae verba v. 1487, quo etiam Ribbeckius p. 50 rettulit: ἴτ' ὦ πνοαί, ναυσθλοῦσθε τὸν 'Αγαμέμνονος παῖδ' εἰς 'Αθήνας, a ventis ad navem sermone deflexo. ceterum Naevi fragmenta inc. 3 et 12 admodum probabiliter Ribbeckius cum Iphigeniae Euripideae versibus comparavit.

De Enni Aiace nihil affirmari potest; de Hecuba Iphigenia Medea Eumenidibus ad Vahlenum lectores relegare satius est quam in silvam ligna ferre. atque de Medea exposui quaedam quaest. Plaut. p. 85 sq.; Hecubae fragmenta tenemus quibus nihil respondeat in Euripideis: frg. 6. 12 V. (3. 10 R.); 4 V. (5 R.) *miserete manus, date ferrum qui me anima privem* quo referas, ab emendatione nominis quod est *manus* pendet, quod tolerari posse nego; *anuis* cum Scaligero si scribas, v. 165 sq. compares cum Vahleno, si cum Muellero *manu*, ad Polymestorem pertinebit eiusque verba v. 1105 ἢ τὸν ἐν 'Αίδα μελάγχρωτα πορθμὸν ᾄξω τάλας; quibus respondet chorus: σύγγνωσθ', ὅταν τις κρείσσον' ἢ φέρειν κακὰ πάθῃ, ταλαίνης ἐξαπαλλάξαι ζόης. cetera conspirant fere, tres versus cum Euripideis Gellius contulit, in quibus graecum λόγος αὐτός vertit Ennius tot verbis: *eadem dicta eademque oratio aequa* non aeque valet (201 V. 167 R.); item scilicet ut in simili causa Accius fecit. de Iphigeniae initio plane assentior Vahleno contra Skutschii disputationem (mus. Rhen. LXI p. 606 sq.) suam interpretationem defendenti et illustranti (op. I p. 413 sq. Hermae XLIII p. 514 sq.). tantum in his verbis:

quid noctis videtur? in altisono
caeli clipeo temo superat,
stellas sublime agens etiam atque etiam noctis iter

si iure syllaba deficere dicitur, nihil tam probabile esse contenderim quam *sublime* scriptura tantum discrepans pro *sublimis* scriptum esse, qua de re modo verba feci. sed dubito quam recte hos anapaestos *stellás sublime agens étiam atque etiam nóctis iter* improbent, quorum similes, scilicet ut tria metra verborum interstitiis non definiantur, in Plautinis certe anapaestis reperiuntur (velut Bacch. 1086 Curc. 141, cf. de cant. Plaut. p. 24 sq.). hic igitur pro Sirio, qui ἐγγὺς τῆς ἑπταπόρου Πλειάδος ἔτι μεσσήρης ferri dicitur ab Euripide, temonem posuit Ennius *etiam atque etiam*, id est ut intellego quavis nocte repetito cursu, suas stellas agentem. quali modo quotiens Ennius Euripideis sua substituerit, satis certa coniectura opinari possumus. de tribus fragmentis ex altercatione Agamemnonis et Menelai sumptis egit Vahlenus ad frg. 6; quam scaenam tetrametris ut Euripides composuit, sed et iurgia eum exauxisse versus servati docent et Ciceronis verba (Tusc. IV 77 *alternis versibus intorquentur inter fratres gravissimae contumeliae*), et acumina eum rhetorica addidisse ab Euripide aliena frg. 6 testatur. multo gravius discrepant Achillis de Calchante dicta (Cic. de rep. I 30), quorum Euripides (955 sq.) vix argumentum indicat, expositio Enniana est:

astrologorum signa in caelo quid sit observationis,
cum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod beluarum.
quod est ante pedes nemo spectat, caeli scrutantur plagas.

quae verba Vahlenus locis supra indicatis sic interpretatus est, ut *quid fit* (hoc scilicet pro *sit* reponendum iudicat) *observationis astrologorum* coniungat et *signa* ab *observationis*, id est ab eius nominis vi verbali, pendere contendat. cui interpretationi et Muellerus assensus est Ciceronis editor et Boegelius qui in quaestionibus grammaticis 'de nomine verbali latino' (Fleckeiseni annalium suppl. XXVIII, 1902, p. 90) hunc quoque locum accurate tractavit atque etiam *quid sit* servari posse, si quidem tota verborum constructio probetur, iure monuit; nam et pendere poterat interrogatio, ut ait, ex verbo antecedente et Plautus sic loquitur non pendente interrogatione: *quid hoc sit hominis? quid hoc sit negoti?* (Amph. 576. 769 Asin. 407). oblocutus est Skutschius p. 616. ego viris latine doctissimis facile concedo unumquodque illorum fieri posse, scilicet ut aliquis exclamet *quid fit observationis* et ut ei nomini adiungat nomen genetivo casu positum, item accusativo. sed si sic construere verba voluerit Ennius, non opinor eum *signa* appositurum fuisse duorum nominum non ei id unde pendere vellet, sed alteri, intermissis aliis quae constructionem plane obscurarent; neque enim in Plau-

tinis exemplis, quae Vahlenus et Boegelius contulerunt (ex quorum numero est etiam Asin. 307 *verbis velitationem fieri compendi volo* obscuratum quidem in editionibus *verbivelitationem* cum Meursio facientibus, sed a Boegelio p. 91 vindicatum), de constructione dubitari potest, cum Enniana ista equidem sensu percipere non possim. cuius sensus ne mentionem quidem iniecissem, nisi graviora accederent. nempe hoc *astrologorum quid fit* (vel *sit*) *observationis* cum admiratione vel indignatione efferri ad rem non pertinet eius qui hanc sententiam prolaturus est: astrologi superna spectant, terrena neglegunt. immo duobus versibus describit officium astrologorum, qui ex ortu stellarum signa capiunt, quid in caelo fiat. quod si tertius versus non cum antecedentibus coniungitur, ut *astrologorum nemo* dicatur, iure Fleckeisenus *noenu spectat* coniecerit scribendum. ipse hos fuisse Enni versus conicio:

astrologorum signa, in caelo quid sit, observantium,
cum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod beluarum,
quod est ante pedes nemo spectat: caeli scrutantur plagas.

in versuum longorum varietate ne haereas, satis est Medeae fragmenti 4 (5 R.) monuisse. ad Iphigeniae fragmentum 11 (3 R.), quod chori est, statim redibo.

Pacuvi fabularum nullius graecum exemplar possidemus; sed Niptra Cicero contulit cum Sophocle et ab eo differre testatur Tusc. II 49: *Pacuvius hoc melius quam Sophocles; apud illum enim perquam flebiliter Vlixes lamentatur in volnere.* idem de natura deorum II 91 perstringit versum in Chryse mira ratione interiectum orationi physicae (v. 90): *hoc quod memoro nostri caelum, Grai perhibent aethera*, et iure addit: *quasi vero non Graius hoc dicat.* eius ipsius orationis partem habemus de caelo, ex frustulis a Varrone Cicerone Nonio traditis certa ratione compositam, versiculumque de terra (frg. 6. 7). quae quam arte cohaereat cum Euripidis nobili loco multumque usurpato de Terra matre et Aethere patre omnium animalium, pridem observatum est. neque vero eius generis est affinitas ut apud Sophoclem, a quo plane aliena sunt, similia invenire Pacuvius potuerit, neque alio modo explicari potest quam ut ab ipso Euripide Pacuviana oratio originem duxerit. quod cum intellegeret Ribbeckius (p. 258), de Chrysippo Pacuviana cogitavit; quod fortasse probari posset, si de nomine fabulae tantum Ciceronis unum testimonium (de div. I 131) extaret; sed cum Nonius utrumque quem affert versum ex Chryse afferat, plane reicienda est sententia. nihil igitur relinquitur nisi ut dicamus Pacuvium locum Euripideum in fabulam Sophocleam as-

sumpsisse atque ita quidem ut ex chori anapaestis orationem physici, ut ait Cicero, faceret, quem in Chryse sua induxit.

De Acci Phoenissis satis locutus sum. Antigonam fatendum est nesciri cuius sit poetae. certe argumentum Sophocleum est, sorores duae, ad ultimam Antigonae orationem quadrat frg. 5, quod recte traditum esse moneo:

iam iam neque di regunt
néque profecto deum summus rex hominibus curat ⏑—

sed actionis partem, quam custodis narrationi Sophocles tribuit, in ipsam scaenam relatam videmus ab Accio (frg. 3. 4), insigni exemplo audaciae in retractanda magis quam vertenda fabula, si de ipsā re satis constet. Philoctetam certius dici potest non quadrare ad Sophoclis tragoediam, habere quae Euripidea esse videantur, sed non ut omnia quae de Euripide tradita sint a Dione conspirent. contra Baccharum cum multa fragmenta servata sint, longe plurima ad Euripideae fabulae certos locos referri possunt. rursus de Prometheo incerta res. etenim Cicero Tusc. II 23 adfixi ad Caucasum Promethei sermonem reddit, quem unde sumpserit familiaris quaerit, non enim se agnoscere; respondet se propter disputationes illas philosophas studiose quidem uti latinis poetis, sed sicubi illi defecerint, ipsum etiam multa de Graecis vertisse. atqui non defecit in ista causa Accius, cuius Promethei bis mentionem faciant grammatici; ac ne τὸν δεσμώτην eum tractasse opinemur, fragmentorum alterum a Nonio traditum *(sublime avolans pinnata cauda nostrum adulat sanguinem)* omnibus verbis legitur inter versus a Cicerone propositos. ergo totam orationem Acci esse, item ut versus de Promethei furto eodem loco adlati ex Acci Philocteta, consequi videatur, nisi Ciceronis familiaris dicat se eos versus non agnoscere; quod de Accianis dici non poterat. ex hac difficultate quomodo me extricem nescio. nam Accium tam libere vertisse Aeschylum, ut Cicero ea fabula uti nequiret, ut opinatur Ribbeckius de trag. Rom. p. 543, id quidem refutatur ipso fragmento ex ea oratione sumpto; quod fragmentum Accio abiudicare, cui Nonius errore ascripserit (cf. Ribbeckius coroll. p. LVII), id quidem sit negare quae scimus ut quae nescimus scire videamur.

De Acci Telepho in transcursu moneo, eam ad Aeschyli fabulam, ut faciunt Geelius Iahnius Ribbeckius, referri non posse, sed Telephum mendici specie indutum Euripideum esse. quo quae pertinent tria fragmenta, eorum primum (3) Ribbeckius sic constituit:

quém ego ubi aspexi, virum memorabilem
intui viderer, ni vestitus taeter, vastitudo,
maestitudo praedicarent hominem esse ⟨obscurissimum⟩.

sed horum versuum primus, ut caesura caret, vitiosus est; *intui* Accium alibi quam in versus colive fine posuisse non probabile est, cf. ad Plauti Bacch. 668; aliquid igitur valere videtur quod non *virum* sed *vir* Noni codices praebent. item praebent *maestitudo vastitudo*, quae Ribbeckius propter figuram litterarum universui reddendam videtur inmutasse. ergo sic potius ista decurrent:

quem égo ubi aspexi, permemorabilem intui
vidérer, ni vestitus taeter, maestitudo vastitudo
praédicarent hominem esse ⟨omni mactatum infortunio⟩.

sic Accius praet. v. 36 *commutationem rerum* fecit *perpropinquam*. de versu secundo vide quae ad Plauti Amph. 1067 adnotavi. neque enim Accii aliorumve tragicorum magis est quam Terenti atque Plauti easdem semper versuum species conserere; quod cum non agnosceret Ribbeckius, permultis praeter necessitatem fragmentis scaenicorum suorum vim fecit. atque statim quae secuntur fragmenta 4. 5 sic coniuncta ad eandem scaenam referri possunt:

nam étsi opertus squalitate est luctuque horrificabili,
profecto hauquaquam est ortus mediocri satu.

etiam frg. 6, propter quod potissimum ad Aeschylum fabulam rettulerunt, sic ut opinor scribendum:

nam si a me regnum Fortuna atque opes
eripere quivit, at ⟨ea⟩ virtutem nequit,

cum Euripideo conferri potest incertae fabulae frg. 1066

εἰ τοῖς ἐν οἴκῳ χρήμασιν λελείμμεθα,
ἡ δ' εὐγένεια καὶ τὸ γενναῖον μένει.

quod ad Euripidis Telephi argumentum non quadrare verum est; neque vero mendicus Telephus fabulam esse Euripideam comprobat, sed non ante Euripidem scriptam. atque Enni Telephus cum Euripideis fere concinit; cuius frg. 1 (3 R.) cum huc pertineat ascribo ut traditum est a Nonio (s. *stola*):

cedo et caveo cum vestitus squalida saeptus stola,

cuius versus haec verba in Festi codice (s. *squalidus*) restant: *quam ve — — stola*. unde mihi videtur consequi Ennium scripsisse *convestitus*, quod ab aliis *cumvestitus*, ab aliis *quomvestitus* scriptum fuerit, quarum scripturarum exempla in Thesauro l. l. IV p. 1341 invenias; ergo in corruptis illis *cedo et* vestimenti significatio lateat sic fortasse restituenda:

centóne caveo convestitus, squalida saeptus stola.

cf. *convestire* v. 131 (126).

Nihil certius licentiam Acci in vertendis fabulis ostendit quam quod Armorum iudicio partem Aiacis Sophocleae immiscuit. quod quin fecerit, fragmentum 10 *virtuti sis par, dispar fortunis patris* dubitationem non admittit. partem dico, nam verbum istud totam scaenam secum trahit. Aeschyli igitur argumentum cum Sophocleo coniunxit. Aeschylus quidem, licet in Armorum iudicio Aiacem vitae paenituisse videatur (frg. 171 τί γὰρ καλὸν ζῆν βίοτον ὃς λύπας φέρει;), mortem Aiacis Thraessis fabulae reservavit (schol. Soph. Ai. 815). quod Pacuvium aliter instituisse nullo iure Ribbeckius autumat propter fragmentum 16, quod sic recte legitur:

Pro imperio agendum est. Quis vetat, quis, ne attolat?

ubi *attolat* non de corpore quod quis sepeliri vetet dictum est, sed ex eo testimonio quo uno utimur, Noni scilicet, significat *adferat*; neque autem quis quid ne afferat a quo vetetur scimus. sed Accium apparet ex duplici argumento simplicem fecisse fabulam, quod fieri non poterat nisi decurtato utroque. neque hoc idem est atque quod in comoediis vertendis contaminare vocabant Terenti adversarii neque idem quod Aristoteles quasi ineptam rem perstringit poet. 1456ᵃ 31 (εἰ ῥῆσιν ἐξ ἄλλου εἰς ἄλλο ἁρμόττοι ἢ ἐπεισόδιον ὅλον), nam ipsius atque unius argumenti continuatio est non permixtio; sed contaminationi proximum certe.

Haec ac talia cognosci possunt de tragicorum Romanorum fide et fiducia, atque scio multo latius esse persequenda, sed de certis locis verbisque certiores nos faciunt, non de arte tota. de qua ut aliquid comperiamus, periculum faciendum est investigandi quomodo chori cantica et personam illi tractaverint; cum qua quaestione cohaeret altera de personarum sermonibus et canticis, nam utraque cum metrorum electione coniuncta est. repetere autem quae alibi de ea re dixi (qu. Plaut. p. 85 Monol. im Drama p. 40) nolo, tantum si certius quaedam definire liceat temptare.

Atque de Livio Andronico hoc dicendum est, quae Terentianus Maurus et Marius Victorinus de Inone tradunt versus quidem non reddere Livi, sed certum testimonium et de versuum genere, quo Enni annalibus praelusit, et de hymno quem chorus Dianae cecinerit in fabula. Livium igitur concedendum est chori partes ipsas intactas reliquisse, etsi quam late eius carmina patere voluerit nesciamus. item de monodiis Andronici valet testimonium Livi (VII 2), qui quae sumpsit ex annalibus certe ostendunt eorum scriptorem histrionum cantica in Andronici tragoediis vidisse. sed

monodiae fragmentum traditum est nullum, nullus enim praeter illam Inonis memoriam servatus est tragoediarum versus non senarius sive septenarius. contra afferri possunt haec: frg. inc. 3, quod Ribbeckius tragoediis ascripsit, num Odyssiae tribuendum sit dubium est (cf. de versu Sat. p. 44), si tragoediae est, chori esse potest; ex Equo Troiano adlatum a Nonio p. 475 s. *opitula*, sic descriptum a Ribbeckio:

dá mihi hasce opes
quás peto quás precor:
pórrige, opitula.

quae colorum forma quam apta sit versui latino exposui de cant. Plaut. p. 11 sq.; sed dubito quam recte Ribbeckius ex Fabri coniectura receperit *porrige*, cum *opitula* arte adiungendum esse videatur ad verba quae sunt *da mihi hasce opes*; quae coniunctio impeditur intercedente *porrige*. pro quo in codicibus scriptum est *corrige*, scilicet *quas precor* cor*rige*, ut appareat *cor* repetitam esse syllabam errore librarii. probabile igitur est, cum ab iambicis potius numeris fragmentum incipiat, hunc olim fuisse senarium:

da mi hásce opes, quas peto, quas precor, age opitula.

Andronicus igitur chorum habebat, hymnum qui caneret in scaena. vix minus certa res de Naevio, cuius ex Lycurgo haec verba tradita sunt (frg. 9):

pergite,
thýrsigerae Bacchae, modo,
Bacchico cum schemate.

neque enim est cur *modo* cum Ribbeckio deleamus vel cum aliis mutemus, ut qui versus quo modo cum antecedenti sermone conexi fuerint ignoremus; nam nihil frequentius quam *i modo*, *age modo*, *propera modo* (Pl. Men. 215) *mane modo* (922), *sequere hac modo* (562 Asin. 876). cola igitur trochaica sunt generis lyrici. atque ex eadem Lycurgo Nonius p. 212 affert *suave summum melos*, quod cum *suavisonum* fecerit Scaliger nescio an non propius traditas litteras attingat *suavissumum*; certe chori in scaena, ut vidimus, versati canticum verba testantur. ceterum lyrica perpauca ex Naevi tragoediis afferuntur, certi tantum versus octonarii iambici 7 et 60; versum 5 *eam núnc esse inventam probris compotem scis* ad baccheos rettulit Buechelerus, a *compotem* novum septenarium incipere fecit Lindsay in Nonio suo, non improbabiliter, licet *probris compotem* uni versui relinquere praestet. sed versus 13 dispescendus: *numquam hodie effugies quin mea* | *manu moriare* (cf. v. 29 *ex suis* | *locis*, O. Wiebe De versus sententiaeque concinnitate

apud veteres poetas romanos, Gottingae 1909, p. 43 sq.), itemque v. 32 *ignotae iteris sumus*, | *túte scis*, uterque ut coniecturis abstineri queat.

Inter multa Enni tragoediarum fragmenta quae lyricis metris concepta sunt fere omnia ad monodias pertinere constat, quae chori verba esse constat, non sunt lyricis metris concepta. unde certum aliquid de monodiis Ennianis comperimus et de chori partibus.

Primum quod ad monodias attinet, habemus fragmenta canticorum Alcmeonis, Cassandrae ex Alexandro, Andromachae Hecubae Medeae Thyestis, fortasse Melanippae (frg. 3 (4)) et Hypsipylae ex Nemea (*teneor consaepta, undique venor*, cf. Eur. Hyps. frg. 20. 21, Oxyrh. pap. VI p. 51). conferre autem cum exemplari licet Hecubae verba et Medeae; ex quibus si Hecubae frg. 3. 4 (2. 5) recte utrumque ad Hecubae Euripideae anapaestos referuntur (v. s.), priore loco anapaestos (v. 68) octonario iambico reddidit. in Medea apparet Ennium non modo ubi animus ferebat ex orationum et dialogorum iambis septenarios fecisse, sed frg. 4 (5) octonarios septenariis mixtos, id est canticum, atque frg. 15 (13) dactylos ex trimetris. monodias igitur inseruit ab attica fabula alienas, id quod etiam in aliis eum fecisse tragoediis sane probabile est. contraria ratione in chori carminibus eum usum esse et Medeae et Iphigeniae fragmenta testantur.

Ante omnia dicendum est, chori partes Ennium ex tragoediis non removisse, qui et Eumenides latinam fecerit et Sabinas praetextam composuerit; atque Medea compellat chorum Euripideum: *quae Corinthum arcem altam habetis, matronae opulentae optimates*, in Iphigenia chorus est non Euripideus quidem sed chorus, in Thyeste hospites Thyestes, in Hectoris lytris Myrmidonum vigiles Priamus affatur. sed cantica chori, quantum quidem intellegimus, Ennius non admisit. haec sunt quae ad chori partes pertinentia licet in usum vocare. sine dubio choricum Euripidis v. 1251 sq. (ἰὼ Γᾶ τε καὶ παμφαὴς ἀκτὶς Ἀελίου, κατίδετ' ἴδετε τὰν ὀλομέναν γυναῖκα, πρὶν φοινίαν τέκνοις προσβαλεῖν χέρ' αὐτοκτόνον) vertunt isti ex Medea versus:

> Iuppiter tuque adeo, summe Sol, qui res omnis spicis,
> qui igneo tuo lumine mare terram caelum contines,
> inspice hoc facinus: priusquam fiat prohibessis scelus.

ubi *quique tuo lumine* in secundi versus initio probabiliter quidem Vahlenus syllaba deficiente auxit scribens ⟨*cum*⟩ *lumine*, mihi epitheton luminis etiam probabilius suppleri vel ex traditis litteris

recuperari visum. haec igitur dochmiis animi plenis enuntiata languide admodum reddidit septenariis sane non cantandis sed a ductore chori pronuntiandis. item frg. 14 (4) *fluctus verborum aures aucupant* septenarii vel senarii est exprimentis illud ἔκλυον φωνάν ingredientis chori (cf. qu. Plaut. 86, aliter Vahlenus). denique frg. 12 (16)

Médea, utinam ne umquam Colchis cupido corde pedem extulisses

octonarius canentem fortasse coryphaeum indicat, certe non chori cantio est ut illa σὺ δ' ἐκ μὲν οἴκων πατρίων ἔπλευσας μαινομένᾳ κραδίᾳ. in quibus verbis retinere cum Ribbeckio et Vahleno *utinam ne umquam, Mede, Colchis* (*cordis* Noni codices) non sustinui, quandoquidem qui Medeam Meden faciunt, Meinekius de Euphorionis fragmento X disputans et Usenerus de deorum nominibus p. 161, incerta incertioribus fulciunt; neque enim Accius v. 417 scripsit *dia Mede's*, sed fortasse, ut Lachmannus vidit, *dic Medea es* (*diomedeset* Noni codices), neque si Euphorio, qua de re minime constat, ἢ ὅσα Μήδη scripsit, inde quicquam de Ennio sequitur, qui in huius fabulae fragmentis bis Medeam nuncupat. transposui igitur nomen, de synaloepha certus (cf. qu. Plaut. 318), de coniectura non item, siquidem ne de *Colchis* quidem constat.

Iphigeniae Euripideae notum est quam audacter Ennius mulierum chorum exemerit et militum substituerit; quod eum fecisse propter Sophoclis exemplum coniecit Welckerus de trag. gr. p. 110; alia proclivis est coniectura, scilicet ex Telepho chori personam Accium transtulisse, cum videamus in Acci Telepho (frg. 2) consimilem sententiam a choro proferri. Enniani igitur chori sermo est septenariis compositus, id est recitationi non cantui destinatus:

> otio qui nescit utier
> plus negoti habet quam cui est negotium in negotio.
> nam cui quod agat institutum est, ⟨is⟩ in illo negotio
> id agit, ⟨id⟩ studet, ibi mentem atque animum delectat suom;
> otioso in otio ⟨homini⟩ animus nescit quid velit.
> hoc idem est: em neque domi nunc nos nec militiae sumus;
> imus huc, hinc illuc, cum illuc ventum est, ire illuc lubet.

atque septenarios esse non primo quintoque versu variatos totus metrorum sententiaeque nullo motu aut affectu expositae contextus ostendere videtur. ab initio cur non cum Skutschio (cf. mus. Rhen. LXI p. 612) *utier* ponatur, cum *uti* sit in Gelli codicibus, nulla causa est, caesura legitima. id quoque tota sententiae conformatio indicare videtur, versu quinto non otiosum otium dici, sed otiosum in otio; quare *homini* inserui, cum hiatu in diaeresi

item legitimo. versu 2 verum quidem est retineri posse codicum *cum est*, sed rectius sententiae membra astrinxit poeta si scripsit *cui est*. denique versu 3 variant inter *negotium* et *negotio* codices, certius autem *in illo* traditum est quam *in illis*, nec est quod aptius hic dici possit quam *in illo negotio*.

Thyestes certe cantat v. 349 sq. (303), ac respondetur: *quid nam est, obsecro? quid te adiri abnutas?* id est verbis baccheo dimetro colon Reizianum adiungentibus, nec dubitari potest quin etiam qui respondet canat; sed non chori canticum est, sed κομμός a Thyeste cum chori duce peractus. *chorus Proserpinae*, quem Varro dicit de l. l. VI 94, quo referendus sit nescio; hic commemoro, quoniam Goetzius et Schoellius Varronis sui p. 270 ad Enni Eumenides rettulerunt.

Denique ex Enni Athamante affertur fragmentum a Charisio p. 241, quo usus interiectionis *euhoe* illustretur:

his erat in ore Bromius, his Bacchus pater,
illis Lyaeus vitis inventor sacrae;
tum pariter euhan euhium
ignotus iuvenum coetus alterna vice
inibat, alacris Bacchico insultans modo.

in quibus *ignotus* (v. 4) intellegi non posse et ipsa sententia flagitari *universus* prorsus vere dixit Vahlenus Hermae XII p. 399. *unosus* autem, quod commendavit non recepit ipse in editione (p. 139), ea de causa non sufficere mihi videtur, quod iuvenes qui memorantur non sunt utriusque sexus, thiasus autem, in quo Ino deprehensa est, non potest tantum iuvenibus constitisse. ergo aliquid deesse videtur. versus autem qui antecedit et mancus est et quo vocabulo mancus sit in aperto, eo scilicet cuius causa totum fragmentum grammaticus proposuit. deest autem plus quam *euhoe*, ut qui id reposuerunt aut duplicaverint (*euhan* ⟨*euhoe euhoe*⟩ *euhium* Vahlenus cum Fabricio, cf. adn. p. 138 sq.) aut aliquo additamento auxerint (*euhan* ⟨*euhoe cantans*⟩ *euhium* Ribbeckius cum Buechelero). rectius igitur utrumque damnum ad unam causam ac locum referetur. atque etiam *euhium* cum *inibat* non tam recte coniungi videtur quam Euripides dixit Bacch. 157 εὔια τὸν εὔιον ἀγαλλόμεναι θεόν vel Ovidius art. I 563 *pars Hymenaee canunt*, *pars clamant Euhion euhoe*. quare Buechelerus, ut memoravi, *cantans* ad *euhium* addidisse videtur. haec omnia me moverunt ut duos versus sic ab Ennio scriptos esse coniecerim:

tum pariter 'euhan euhi⟨e euhoe' virgin⟩um
ac totus iuvenum coetus alterna vice
inibat.

in quibus sane *totus* ad virginum item ut ad iuvenum coetum pertinet. ut ut est, thiasus iste non chorus fuit fabulae, sed qualis fuerit a nuntio narratur, siquidem Inonem in Parnaso esse rescierat Athamas, *quae bacchationis causa eo pervenisset*, ut in Hygini fabula quarta legitur, cui inscriptum *Ino Euripidis*.

Haec quae de chori Enniani partibus afferri possunt si cum monodiarum multitudine comparamus, in Enni tragoediis suspicari licet canticorum rationes non multum diversas fuisse a comoediis Plautinis, id est cantatum esse ab histrionibus, chorum non totum cantasse sed choreutas singulos. Ennianas rationes ad Pacuvium referre proclive quidem est, sed periculum ne temere faciamus. atque in Niptris Vlixi, ut ait Cicero Tusc. II 49, *illi ipsi qui ferunt saucium — — non dubitant dicere: 'tu quoque Vlixes* e. q. s., scilicet anapaestis collocuntur cum saucio, non uno ore simul omnes. qui Vlixis familiares num chorum effecerint ignoramus; consimiles eorum partes atque senis Hyllique in Sophoclis Trachiniis 971 sq. Teucri fragmentum 16 (Nonius s. *amplant*):

ubi poetae pro sua parte falsa conficta ⟨oc⟩canant,
qui causam humilem dictis amplant,

cuius in altero versu non magis causa est indicativum removendi quam in priore coniunctivum, nescimus enim unde pendeat *ubi*, ego reposui *occanant* collato Plauti versu Amph. 227 (*tubae contra utrimque occanunt* Bergkius, *t. utrimque canunt contra* codices), hoc igitur fragmentum Ribbeckius p. 228 choro assignavit non inepte, sed non cantanti, ut autumat. nec absone fragmentum inc. 14 de natura Fortunae ex Orestea fabula sumptum ad chori sermonem referatur. aliud de Oreste, inc. 53, qui egrediens ex Apollinis templo *invadebatur a Furiis*, nihil docet de choro Furiarum nec de chori partibus. sed tres fabulas thiasum Bacchicum habuisse probabile est, qui certe non sine cantatione scaenam occupare poterat; nec argumentum quale Penthei, quod ex Pacuvi fabula traditur in scholiis Aen. IV 469, elegisset si choricis abstinere voluisset. atque Penthei fragmentum nullum traditur, sed Baccharum esse videtur frg. inc. 4

agite icite volvite rapite, coma
tractate per aspera saxa et humum,
scindite vestem, ocius ⟨agite⟩.

(cf. mus. Rhen. XL p. 200, ubi *icite* pro *ite* proposui); quod cum Penthei argumento aptius sit, Antiopae tribuit Hartungus et Ribbeckius p. 298, in qua scilicet Euripides duplicem chorum induxit, τόν τε τῶν Θηβαίων γερόντων διόλου καὶ τὸν μετὰ Δίρκης (schol. Hipp. 58); nec Pacuvius inmutasse videtur, si quidem et chori est nec

senum, sed Baccharum esse potest frg. 12 *cervicum floros dispergite crines*, eodem metro conceptum. item ex Periboea Varro affert anapaestos aut glyconeos (frg. 27) *scrupea saxea Bacchi templa prope adgreditur*, quos non fidenter ad choricum referremus, nisi ex eadem fabula esset apud Nonium s. *melos* (frg. 28)

thiasantem fremitu concidi melum,

quae recte emendata sunt ex *thesiantem fremita*, sed pro *concidi* ponere *concite*, ut Ribbeckius fecit, et anapaestos efficere certe non una ratio est quam sequi liceat, probabilior fortasse ut iambos vel trochaeos et primae personae verbum servemus, talem igitur narrantis sermonem restituamus:

thiasantem fremitu concepi melum,

ut Plautus Poen. 277 *haec tanta oculis bona concipio*, Seneca Phoen. 224 *ego ullos aure concipio sonos?* audisse igitur carmen videtur quale deinde in scaena cantatum sit. in Antiopa quod dixi Pacuvium duos choros Euripideos retinuisse, unum certe ac tenue vestigium est alterius quod Cicero de div. II 133 Amphionem cum *atticis* colloqui narrat, qui certe non sunt Attici, sed fortasse, ut Orellius coniecit, *astici*. quorum responsio ex Cicerone ac Nonio resarcienda haec est:

ita saeptuose dictio abs te datur:
quod coniectura sapiens aegre contulit
non intellegimus, nisi si aperte dixeris.

quorum versuum primo nihil deest aut emendatione eget, etiam hiatus, cui facile medearis scribens *abs te ⟨istaec⟩ datur*, habet quo defendatur; cohaerent non primus et secundus, sed secundus et tertius. etiam in Chryse cives compellari videmus: frg. 4 *cives, antiqui amici maiorum meum, consilium socii, augurium atque extum interpretes* e. q. s., scilicet augurum et haruspicum consilium a sacerdote Apollinis; illos autem *augurium atque extum interpretes* spernit 'physicus', quem supra diximus chori Euripidei anapaestos in orationis philosophae septenarios transtulisse. hoc quoque exemplo esse potest quantum sibi licentiae sumpserit in poetarum graecorum cantica Pacuvius item atque Ennius, cuius praeceptis institutus tragoedias fecit.

Inter Acci tragoedias magnus numerus est titulorum ipsum chorum significantium: Bacchae Hellenes Myrmidones Phoenissae Stasiastae Troades; cuius generis inter Enni tragoedias esse diximus Eumenides et Sabinas, inter Pacuvianas nulla est. fragmenta autem choricorum nulla exstant praeter Bacchas, ut et Naevi et Pacuvi et Acci cantica a thiaso Bacchico cantata in tragoediis inveniamus; atque Acci Baccharum frg. 3 a Nonio adlatum ut vocis

melos genus masculinum comprobetur, *acri crepantes melos*, non carminis esse videtur sed nuntii, cf. Eur. 1057 βακχεῖον ἀντέκλαζον ἀλλήλαις μέλος, et supplendum tali modo:

acri crepantes ⟨sonitu cantabant⟩ melos.

sed tria sunt canticorum fragmenta: anapaesti v. 6

ubi sanctus Cithaeron frondet viridantibus fetis,

cf. Eur. 977 (ἴτ' εἰς ὄρος); minus certum frg. 4, quod sic traditum in Nonianis (s. *modicum*): *agite modico gradu iacet et nisus levis*, si cum Scriverio scribitur

agite modico gradu, iacite thyrsos levis,

licet cretici numeri sint, ad idem Euripidis canticum referri potest; sed *nisus levis* cum *modico gradu* coniunctum habet cur servandum videatur, cum thyrsorum iactus cum gradu modico non tam apte conveniat. quod si cum Fruterio ponimus *facite nisus levis*, sententia quidem referri potest ad Euripidis v. 1049 τά τ' ἐκ ποδῶν σιγηλὰ καὶ γλώσσης ἄπο σῴζοντες, ὡς ὁρῷμεν οὐχ ὁρώμενοι vel ad Cadmi verba 1216 sq., sed quomodo canticum fuerit, obscurum. denique frg. 5 sic scriptum legitur apud Macrobium VI 5, 11, qui Vergilianum *vitisator* ab Accio sumptum arguit: *o Dionyse pater optime vitisator Semela genitus euhia*, quae quod Ribbeckius Muellerum secutus sic in trimetros redegit:

o Dionyse, optime
pater, vitisator, Semela genitus, euhie,

plane non licet *Dionyse pater*, ut pro Libero patre Accium dixisse memorabile est, distrahere. sed mirus est nominativus *genitus* inter *Dionyse pater* et *euhie* positus; ut nihil mihi probabilius videatur quam dactylos fuisse:

o Dionyse pater, ⟨pater⟩ optime,
vitisator, Semela genite, euhie,

quibus verbis verterit illarum invocationem unam: ὦ Βρόμιε Βρόμιε, πρόβακχ' εὔιε δαῖμον (412), ὦ Διὸς παῖ Διόνυσε (550), ἰὼ ἰὼ δέσποτα δέσποτα, μόλε νυν ἡμέτερον ἐς θίασον, ὦ Βρόμιε Βρόμιε (582). quae propter duplicatas voces exscripsi.

Praeterea ex Atreo traditum est chorici frustulum (13 *aequora caeli sensimus sonere*). in Telepho Myrmidonum chorum consimilem Enniani in Iphigenia (v. s. p. 15) frg. 2 ostendit: *iam iam stupido Thessala somno pectora languentque senentque*. in Philoctetae 'principio', ut ait Apuleius, Vlixes anapaestis consalutatur, quos qui recitaverit recitaverintve nescimus, quamvis scire intersit, num a chori cantico Accius tragoediae initium fecerit. neque quae restant multo certiora sunt. scilicet quod Antigonam corpus humantem et a custodibus deprehensam non in narratione sed ipsa actione produci

diximus (p. 10), canticum quidem custodis testantur duo fragmenta, alterum anapaestis conceptum, alterum dactylis, sed de chorico nihil constat. ex Astyanacte anapaesti traditi sunt (frg. 10) qui cum chori esse possint, a Ribbeckio non inepte Vlixi tribuuntur (p. 415).

Testimonia igitur ne de Accio quidem multa sunt, sed satis ut intellegamus choro eum cantica dedisse, non satis ut illum quoque cantica chori in recitationem vertisse constet. quod Pacuvium fecisse vidimus, qui tamen canentes choros induxit. solius igitur Enni tragoediarum reliquiae nullum fere vestigium praebent canticorum chori, sed multa fragmenta sermonum ex canticorum locis tralatorum. ergo hac quoque in re suum ac proprium locum Ennius tenere videtur, ut secundum artem ab Euripide conformatam et post Euripidem continuatam atque exauctam chori partes deminuerit, monodiarum amplificarit. atque ad histrionum quidem cantionem quod attinet, Pacuvius et Accius ab Enni ratione quae etiam Livi Andronici fuit non deflexisse videntur, in choricis transferendis artius rursus ad exemplaria attica sese applicuisse.

De monodiarum aliquot fragmentis observationes addam. primum in magno Cassandrae cantico, quod Alexandro Ennius inseruit, constat a septenariis ad dactylicum systema transitum factum frg. 8 (6), deinde octonarios trochaicos inlatos esse (7); quod sequitur fragmentum (Macr. VI 2,18 *o lux Troiae germane Hector, quid ita cum tuo lacerato corpore miser aut qui te sic respectantibus tractavere nobis*) dimetrum anapaesticum et suppletis traiectisque vocabulis iambicos octonarios fecit Ribbeckius, trochaeos liberius compositos Vahlenus. cui plane assentior neque tradita verba correcturam ullam admittere nisi qua verbum ante *aut* recuperetur et numeros esse trochaicos. sed *cum tuo lacerato corpore* fortiorem videtur notionem postulare quam quae enuntiatur suppleto *miser* ⟨*es*⟩ nec, siquidem supplemento opus est, causam video cur in insolenti metri forma, quae una syllaba suppleta evadit, acquiescamus. ergo tale fuisse systema trochaicum conicio, cuius similia indicavi de cant. Plaut. p. 30 sq.:

o lux Troiae, germane Hector,
quid ita cum tuo lacerato
corpore ⟨abiectu's⟩ miser aut qui
te sic respectantibus
tractavere nobis?

quae versibus longis describerem, nisi *lacerato corpore* versus fine dirimi aegre ferrem. quod sequitur fragmentum sine vitio traditum, ut Vahlenus intellexit:

nam maximo saltu superabit gravidus armatis equus,
qui suo partu ardua perdat Pergama

anapaestos habere iudico post versum iambicum; nihil enim cogit ut dactylicum vocabulum inter trochaeos ferri patiamur. item Vahleno assentior de Andromachae fragmento 12 (6):

Acherúsia templa alta Orci,
salvete infera pallida leti
nubila tenebris loca.

quod fragmentum tetigi propter memorabilem primi vocabuli prosodiam, de qua non satisfacit disputatio Ribbeckii in corollario p. XX. nempe *Acheruntis* prima syllaba in sermone latino producitur ante Lucretium nec extat praeter hunc locum correptae exemplum nisi quae a Plauto propter antecedentis syllabae ictum corripiuntur. sic tragicus ex tribus maioribus unus, quo Cicero utitur Tusc. I 37 sq. (inc. v. 73), recte *ádsum atque advenio Acherunte vix via alta atque ardua*; nec satis causae est cur Iphigeniae Ennianae verba frg. 13 (9) *Acherontem obibo, ubi mortis thesauri obiacent* senarium potius dicamus quam septenarium (velut ⟨*nunc ego*⟩ *A.*). versus autem quos eodem loco Cicero praebet de Arverno lacu (inc. 76) breviter moneo non ut vulgo faciunt sed sic esse scribendos:

unde animae excitantur obscura umbra opertae, imagines
mortuorum, alto ostio Acheruntis, salso sanguine.

tamen nulla dubitatio est quin illo Andromachae loco *Acherusia templa alta Orci* paroemiacum Ennius fecerit. qui, quandoquidem anapaestus latinam vocabuli prosodiam non ferebat, recepit in huius versiculi usum prosodiam graecanicam.

Hoc admonet aliorum nominum graecorum quae versui sermonive latino non sine incommodo adaptari potuerint. nominum in *-eus* legitimam fuisse pronuntiationem aut ut latine bisyllaba fierent, cum latina dipthongus *eu* nulla esset, aut ut graece -εύς cum accentu in versu efferretur, post egregiam disputationem Birtii (mus. Rhen. XXXIV) compertum habemus. utriusque generis exempla Acci reliquiae praebent: v. 668 *iam hanc urbem ferro vastam faciet Peleus* cum nomine trisyllabo, atque eiusdem v. 663 *Tereús indomito more atque animo barbaro*, 534 *Prometheús*, cf. inc. 103 *Atreús*. vix igitur credibile eundem Accium v. 116 scripsisse *donéc tu auxilium, Perseu, tetulisti mihi*, sed *Perse*, qua vocativi forma Valerius Flaccus utitur VI 605. aliud hoc est: Naevius in Lycurgo (v. 46), ut Nonius s. *cette* tradit, aliquem haec vociferantem induxit:

proinde huc Dryante regem prognatum patre
Lycurgum cette.

quae recte emendata sunt a Iunio et Ribbeckio, nisi quod haec scriptura in qua Noni codices consentiunt: *proindustriant te regem*, non *Dryante* nomen indicat, sed *Triante*. atque sic arbitror Naevium hoc nomen cum a graeco poeta reciperet scripsisse. nota enim est fuga litterarum *dr* in latino sermone; neque quicquam eius compositionis extabat in initiis verborum antequam Plautus et Ennius *drachumam*, Plautus *drapetam* et *Dromonem*, Accius *dracontem* in carmina receperunt. in cotidianae autem vitae sermone probabile est latinos homines *tracumam Trepanum Hatriam* dixisse ut *Casantram* et *Alixentrom*.

Sed hic finem faciam, ne rerum minutularum deliciis ductus modi plane finisque obliviscar.